



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus IX. De Renuntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

determinatum non est, sed datur quando petitur; nec denegatur objecto crimine, nisi illud infra duos menses probari possit, & obijciens ad pœnam talionis se obliget. *extravag. unic. h. t. inter commun.*

TITULUS IX.

De

Renuntiatione.

QUÆRES 1. Quid sit renuntiatio? Resp. renuntiare sumitur dupliciter, genericè & specificè renuntiare in genere est favori pro se introducto cedere, quod ab unoquoque fieri posse, ex notissimâ juris regulâ patet. Specificè autem & prout hujus loci est, definitur renuntiatio, *resignatio beneficij spontanea & libera, ex justâ causâ coram legitimo superiore facta.* ex quo patet, tria ad renuntiationem requiri *primo* requiritur libertas in resignante; resignatio enim coactè facta in tantum est odiosa sedî Apostolicæ, ut cogens, si laicus fuerit sententiæ excommunicationis, si Episcopus, suspensionis, si inferior clericus pœnæ privationis subjaceant. *clem. 2. de pœnis. secundo* requiritur consensus superioris, qui quo ad Episcopos est solus Pontifex, quo ad alios inferiores clericos, ordinarius *cap. 4. h. t. tertio* requiritur justâ causa. *cap. 10. h. t.*

QUÆRES 2. Quot & quænam sunt causæ renuntiandi? Respond. ab Innoc. III. *in ctt. cap. 10.* sex causas enumerari, ex quibus licentia cedendi seu renuntiandi peti & impetrari possit, quæ his verbis comprehensæ sunt.

E

Debilis

Debilis, ignavus, malè conscius, irregularis, quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Prima igitur causa est debilitas corporis ex infirmitate vel senectute orta, non omnis, sed ea tantum quæ hominem exequendo muneri suo impotenter efficit *cap. 10. b.t.* *Secunda* est defectus scientiæ, nimirum ignorentur ea, quæ ad exequendum dignè officium sunt scitu necessaria. *can. 1. dist. 38.* in scitia enim, cunctorum mater errorum teste leone in cit. dist. can. 3. etiam in laicis intolerabilis videtur, in clericis autem nec excusatione digna est, ne veniā: munus enim sacerdoti est hortari & docere populum *1. Tim. 4.* quod si præstare nequeunt, qui vix litteras sciunt, & tamen ad beneficia & dignitates aspirant. *tertia* est mala conscientia, sive criminale, quod peracta etiam poenitentia executionem officii impediat. tale crimen est simonia. *can. 110. caus. 1. q. 1.* Apostasia & Schisma. item quodlibet crimen irrogans infamiam, quia talis infamia poenitentiam aboleri nequit. *can. 7. caus. 2. q. 3.* quarta causa est irregularitas, quæ præstat impedimentum ordinis. *quinta* est malitia plebis, si scilicet subditi mansuetudine ovium deposita in lupos conversi, pastorem suum tali odio prosequantur, ut is propter eorum pertinaciam, non possit sperare profectum *cap. 10. b.t.* *Sexta* denique est scandalum grave, quod non nisi per resignationem evitari possit *cap. 9. 10. dist. 11. b.t.*

QUÆRES 3. An non sint aliæ causæ, propter quas Episcopus renunciare possit? Resp. affirmativè. tales sunt aeris intemperies causans periculum mortis, inimicitia capitales *cap. 9. b.t.* & aliæ, quæ tamen

tamen distinctæ non sunt, sed ad unam ex sex præallegatis referuntur.

QUÆRES 4. Quotuplex sit resignatio?

Resp. Duplex: Alia pura est, sive simplex, alia qualificata. Resignatio pura est, quâ beneficium absolutè & simpliciter ad manus superioris resignatur, ut id tanquàm vacans liberè alteri conferre possit. *cap. 3. h. t.* Resignatio qualificata est, quæ fit sub aliquâ conditione, modo, vel pacto, sive reservatione. Resignatio sub modo est, quæ fit ex causâ permutationis, dum scilicet beneficium meum taliter alteri resigno, ut is vicissim suum beneficium mihi resignet. Resignatio sub conditione est, quæ fit ad manus Pontificis in favorem tertii; dicitur autem resignatio conditionata, quod, si Pontifex resignatario beneficium resignatum conferre noluerit, maneat resignans, eò quod sub hac conditione & non aliter resignatio facta sit. Resignatio sub pacto vel reservatione tunc fit, quando resignans reservat sibi certam summam pecuniæ, quotannis à resignatario solvendam, quod consentiente Pontifice fieri posse, quotidiana docet experientia. Hæc autem pensio annua reservari debet non ex fructibus beneficii, sed aliundè, cum beneficia sine diminutione sint conferenda. *tot tit. ut benef. eccles. sine diminut. confer.*

QUÆRES 5. An non sint aliæ resignationes sub reservatione fieri solitæ, quibus tamen pensio annua non reservetur? Respondeo sunt tres, quæ fiunt sub reservatione regressûs, ingressûs, & accessûs. Regressus reservari dicitur, quando resignans eâ conditione, beneficium, quod vel retinere non potest vel non vult, resignat, ut resignata-

E 2

rius

rius, suo tempore, dum videlicet resignanti placuerit, juri suo cedat, cum in finem, ut resignatum beneficium suum recipiat. Ingressus reservari dicitur, quando beneficium, cujus quis nondum adeptus possessionem, eâ conditione resignatur, resignatarius suo tempore beneficium dimittat, resignantem possessionem capere permittat. Accessus tunc reservari dicitur, quando is qui propter defectum ætatis, aut aliam causam nondum habet vel habere non potest titulum beneficii, cum collatore tractat, ut is interim alteri tale beneficium conferat, hac tamen conditione expressâ, ut si dum ejusdem capax fuerit, cedatur. Verum hæc reservationes tanquam simoniacæ rejiciuntur.

QUÆRES 6. An si quis sine prævio superioris consensu resignet, resignatio teneat? Resp. Tenet quoad resignantem, ita ut is, licet vellet, ad beneficium resignatum redire nequeat, non tenet, quoad superiorem, utpote cui liberum est, resignationem acceptare vel resignantem, ut ad beneficium redeat compellere. *cap. 1. 4. 5 ult. b. t.* Ratio est, quia inter beneficiatum, dum acceptat beneficium, & fundatores, sive eccl. siam, quæ personam sustinet fundatorum, intercedit quasi contractus, quo ecclesia se obligat, ad subministrandos fructus, beneficiatus autem ad præstandum officium beneficio annexum, quâ obligatione ex hoc quasi contractu resultante nemo seipsum liberare potest. Procedit hæc assertio in omnibus quidem beneficiis, maximè autem in Episcopatibus, qui ad Episcopatus suos, si Pontifex resignationi deferre noluerit, redire cogantur. Exemplum habuimus in novis.

novissimâ Electione Colonienâ, ubi unus præ-
tendentium Episcopatum suum lubens resignasset,
modo Pontifex eam acceptare voluisset.

QUÆRES 7. Quinam beneficia sua & di-
gnitates resignare possint? Respondeo regulari-
ter omnes beneficiati, interveniente justâ causâ,
beneficia sua renuntiare possunt, modo jus quæsi-
tum in iis habeant, dimitti enim non potest id,
quod quis non habet, cum privatio supponat habi-
tum; quod non solum in Clericis inferioribus, sed
& in iis qui in dignitate ecclesiasticâ quantumvis
maximâ constituti sunt: locum habet, hinc & ipse
Pontifex summum totius Christianitatis caput Pa-
patui renuntiare potest, ut habetur *in cap. 1. h. t. in 6.*
& patet exemplo Cœlestini V. & aliorum qui ab-
dicato Papatu pristinum vivendi statum elegerunt.
Ratio autem cur canones concesserint, facultatem
generalem beneficia obtenta resignandi, duplex
est; una se tenet ex parte ecclesiæ, quæ suadet ut
amoveatur is, qui ecclesiæ censetur inutilis, vel
promoveatur qui censetur utilior; altera se tenet
ex parte resignantis, quæ dicat eum retinendum
non esse, qui propter periculum corporis vel ani-
mæ ecclesiam retinere nequit. *Purb. h. t. num. 18.*

OBJICIES 1. Resignatio debet fieri ad
manus superioris *cap. 4. c. 9. h. t.* Sed Papa non
habet superiorem se; ergo renuntiare non potest.
Respond. Distinguendo majorem. resignatio de-
bet fieri ad manus superioris, aliqua concedo,
omnis nego; fallit enim in supremo principe, qui
non recognoscit superiorem se; sicut enim, non ob-
stante regulâ generali, quod nemo in propriâ cau-
sa debeat esse iudex, is qui iudex supremus est, in

E 3

pro.

propriâ causâ judicare potest; sic & Papa superior se non recognoscens, poterit renuntiare. vel respondeo. Concessa majore Nego minorem. Papa enim renuntiando Papatui, soluit matrimonium spirituale non suo sed Christi nomine, per potestatem ab ipso acceptam.

OBJICIES 2. Minor 25. annis non potest sine auctoritate Curatoris beneficium suum resignare; ergo male dicitur resignationem cuiusvis beneficio esse licitam. Respond. Neg. anteced. licet enim minor regulariter sine auctoritate curatoris agere nihil possit, fallit tamen in causis beneficialibus & spiritualibus, in his enim Clericus, modò annos pubertatis excesserit, pro majore habetur. *cap. ult. de Iud. in 6.*

QUÆRES 8. Quanam beneficia resignari possint? Resp. Omnia quæ specialiter resignari non prohibentur. Prohibentur autem 1. Beneficium titolare, etiamsi resignans congruam aliunde sustentationem habeat. *Trid. sess. 21. cap. 2. de reformat.* unde licet quis dispensationem Romæ extraxerit, beneficium suum resignandi, ea renuntiatio non valebit, nisi in supplicatione expressum fuerit, quod sit beneficium titolare. 2. Beneficium quod est unitum collegio sive universitati, in favorem nequit resignari. *Trident. sess. 23. cap. 18. de reformat.* 3. Beneficium eligibile. 4. Litigiosum lite pendente in favorem Tertii resignari nequit. *cap. 2. ut lite pendente in 6.*

OBJICIES 1. Favori pro se introducto quilibet renuntiare potest. Sed in favorem Clerici introductum est, quod beneficium titolare nequeat resignare; ergo huic favori poterit resignare. Respond.

spond. Concess. major. Nego min. non enim id est
introducitur in favorem Privatum ipsius beneficia-
ti, sed in favorem publicum totius status clericalis
ne cum ejusdem opprobrio & dedecore suscepti
ordinis clericus mendicare, aut turpem quæstum
exercere cogatur.

OBICIENS 2. Cessante ratione legis cessat
lex. sed ratio quæ movebat concilium ad prohi-
bendam beneficii titularis resignationem, erat, ut
clericus congruam haberet sustentationem; ergo si
hanc aliunde habeat, cessabit lex sive dispositio
concilii Resp. transeat major Neg. min. concilium
enim non voluit tantum ut clericus congruam ha-
beret sustentationem, sed ut eam tam firmiter
haberet, ut se ipsum eadem privare non posset.

QUÆRES 9. An resignationes beneficio-
rum possint fieri ad manus ordinariorum? Resp.
affirmat. hanc tamen conditione observatâ, ut
ordinarius beneficium resignatum neque suis neq;
signantium consanguineis, affinibus, vel famili-
aribus conferre possit quod expresse statuit Pius
V. in Bullâ speciali edita anno 1568. quæ incipit.
Quanta ecclesia. aliter conferentes suspensi erunt, &
collatio erit nulla. idem Pius V. in bulla quæ incipit
officium creditæ.

Quid sit observandum in resignatione factâ ab
Infirmis? Resp. resignatio in favorem tertii in manus
Pontificis ab infirmo facta hoc speciale habet, quod
non valeat nisi resignans 20. diebus supervixerit,
quod in regula 18 Cancellariæ, quæ incipit, *de*
viginti, expresse decisum est. hæc autem vigesima
dies debet esse completa, nec sufficit inchoata. re-
signatio autem extra casum infirmitatis facta statim

tenet, ita ut viginti dies non requirantur; hinc si quis, dum sanus esset, beneficium in favorem tertii resignaret, postea vero confecto desuper Instrumento, eodemque Romam transmissio lethali morbo correptus moreretur, resignatio facta valeret, quidquid in contrarium quidam DD. sentiant. *chohier in reg. 18. cancell. n. 15.*

OBIICIES, In favorabilibus dies inchoata habetur pro completa *l. quâ atate ff. de Testam.* ergo in resignatione vigesima dies inchoata sufficiet. **Resp.** distinguo anteced. in favorabilibus dies inchoata habetur pro completa quando tempus designatur per annos, Concedo, quando designatur per dies, Nego. sicut enim in termino plurium annorum ultimus annus inchoatus pro completo non habetur *l. 4, § 5 ff. de condit. §. demonstrat.* ita etiam in termino plurium dierum ultima tantum inchoata pro completa haberi non debet.

TITULUS X.

De

Supplendâ negligentia Prælatorum.

QUÆRES I. Quid sit negligentia? **Resp.** est omissio ejus, quod Prælati Ecclesiæ vel officij sui facere debebat. Prælati enim Ecclesiarum non semper sunt adeo diligentes, & ecclesiarum suarum utilitati intenti ut non quandoque eorum administratio reprehensionem mereatur. ne igitur Ecclesiæ per eos, quorum solitudine conservandæ erant, damnum patiantur, salubriter ordinaverunt canones, ut eorum negligentia ab aliis suppleatur.

QUÆ.